…iobi: Quaestio de rescindenda venditione.

2548 Frauo

# QVÆSTIO DE RESCINDENDA VENDITIONE.

ad

L. 2. C. de rescindenda venditione.

&

c. cum causa: extra. de empt. & vendit.

A

*IACOBO NAYMANOWIC I.V.D. in alma Academia Crac. ad disputandum publicè proposita.*

Pro loco inter Doctores Iuris obtinendo.

*CRACOVIAE,*
*In Officina Andreæ Petricouij, Typographi S. R. M.*
*Anno Domini, 1614.*

## In Insignia Illustrissimi & Reuerendissimi Domini, D. Petri Tylicki Episcopi Cracouien. &c.



*Crux rutilans, albens Solea, innuit, exprimit, hercle*
*Faustum, constantem, relligione, fide.*
*Princeps, Patricius, Præsul, tegis, instruis, vrges,*
*Lycéum, Principem, oues, fascibus, ore, pedo.*

M. Ioan: Łoza.

*Illustrißimo & Reuerendiss: Domino,*

# D. PETRO TYLICKI,

## Dei gratia Episcopo Cracouien: Duci Seuerien. &c.

### Domino D. suo & Patrono.

*NAturaliter licitum esse contrahentibus in pretio emptionis & venditionis se circũuenire, docuit clarissimus Pomponius apud Vlpianũ; idq; ea causa, ne dum sub prætextu deceptionis via resolutioni contractuum aperitur, omnis modus & ratio hominibus commerciorum in vita auferatur. Hanc verò traditionem antiquorum Imperatores moderati, ita demum deceptionem tollerandam esse sanxerunt, si ea non excedat dimidium valoris rei in contractu positæ. Quod rescriptũ Principum sanè laudabile ex mira contemperatione exactæ iustitiæ & æquitatis, cùm*

*summi legum interpretes, quisque pro suo ingenio explicat, deducit, exornat; varietate & dissidio opinionum ita eius veritatem distraxerunt, vt in re scholis pariter & foro accommodatissima, vix vel lyncæus aliquis perspicere possit, quid retinere debeat, quid relinquere. Hæc causa est quæ me impulit, vt Clarissimis Academiæ Cracouień. Iurisconsultis, ex more, pro loco inter eos habendo, rem perplexam & difficilem elucidandam proponerem. An verò tibi dicanda foret, etsi dubitarem, reuoluens mecum Magnitudinem Tuam, & rerum mearum tenuitatem; hoc tamen munus quale quale sponte ad te ibat. Cui enim potiùs libramenta Iuris ista, quàm Tibi iusti & æqui scientissimo & seruantissimo debebantur? Cui xenium Academicum, quàm Tibi scholarum nostrarum, imò prorsus tuarum cupientissimo, & amantissimo? Quarum virtutum alteram orbis noster in Te suspicit, veneratur, imò vix capit; alteram Academia Tua amat, colit, & æternam fore votis exposcit. Vt autem publicâ causâ, hæc quæ Tibi offero, Tua sunt: ita & priuatâ meâ; cùm enim me autoritate Tua, ab in-*

*ab inerti & tenebricoso ocio elicuisti, laborią; honestißimo, & luci operas meas, quasi mancupio addixisti, quidquid in parte earum numerari potest, totum id Tuum esse arbitror. ex quo numero hanc Quæstiunculam, meritò Tuam in Tuo natam, volens, quæ Tua humanitas est accipe; ita DEVS tantundem Tibi boni æui & gloriæ, quantum iam dedit, adÿciat.*

*Datum Cracouiæ, 22. Augusti. Anno Domini, 1614.*

Illustrissimæ Celsit: V.
obsequentiss.

Iacobus Naymanovvic.

# LECTORI S.

VT vita humana sine Conuentionibus, ita eæ sine deceptione, maximè hoc æuo, vix consistere possunt. Vnde Iurisconsultis, contra dolum & circumuentiones plurima parata remedia, & quasi antidota, inter cætera est L. quam ad discutiendum proponimus communi consensu Iurisconsultorum, & calculo approbata, & visitata, quam tibi, vt scias in quo versetur cardo & basis quæstionis & disputationis, hîc adscribere voluimus.

## C. de rescind: vendit. L.2.

*Imp. Dioclet. & Maximian. AA. L.*

*Rem maioris pretij, si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, vt vel pretium te restituente, emptoribus fundum venundatum recipias, autoritate iudicis intercedente, vel si emptor elegerit quod deest, iusto pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars pretij soluta sit.*

# QVÆSTIO.

V. Deceptus in omni genere contractus vltra dimidium per inscitiam, gaudeat remedio L. vt possit agere ad rescisionem contractus, vel pretij supplementum, etiam contra tertium possessorem, adeò vt si contractus rescindatur, rem cum fructibus cõsequatur, necne?

## CONCLVSIO I.

In omni genere conuentionis, tam bonæ fidei, quàm stricti iuris, non est dubium succurri decepto vltra dimidium, aduersus decipientem, vt possit agere vel ad rescisionem contractus, vel ad supplementum pretij.

## *COROLLARIA.*

1. *Etsi L. de vendente læso loquatur, certum tamen est eius dispositionem extendi, non solùm ad emptionem, sed etiam ad omnes contractus,*

 *quibus*

*quibus vnum pro alio datur, quiq; hinc commutatiui dicuntur.*

2. *In permutando decepto, adeò d.L. auxiliatur, vt etiam in permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum, eam locum habere non absurdum putemus.*

3. *In locatione verò, etiam finito contractu, certũ est (contra quosdam) decepto succurri, quod locum habet maximè in casu sterilitatis, aliisq; fortuitis, nisi eis specialiter renuncietur. renunciationem fortuitorum insolitos, & de quibus cogitatum non est, non credimus comprehendere.*

4. *In transactione læsus, non excludetur à beneficio supra nominatæ L.*

5. *Quamuis in aliis actibus liberatoriis, non sit absurdum huius L. beneficium vigere, vix tamen ad eam recurrere necessarium est, siquidem in iis aliæ rationes agendi præscriptæ sunt, quibus quisque ius suum persequi valeat.*

6. *Maritus deceptus in æstimatione dotis, potest agere etsi minus lædatur dimidio, si tamen ex æquitate nostræ L. procedendum ei est, in dote peten-*

*petenda (quod facilè defendi poteſt) pinguius illi quàm vxori L. noſtra in agendo ſubueniri credimus.*

## CONCLVSIO II.

Qui valorem rei ſcit, quæ in contractu eſt poſita, & ſe decipi vltra dimidium patitur, non admittitur ad beneficium noſtræ L.

### *COROLLARIA.*

1. *Qui circa rem verſantur, non præſumuntur ignorare valorem eius; vnde vel niſi difficile, vel cæteris vrgentibus ad agendum ex noſtra L. admittentur.*
2. *Simplicibus autem, etſi rem ſcire videantur, ſimplicitas eorum dabit veniam: ſic qui facto procuratoris læſus fuerit, etiam citra dimidium, poteſt agere contra lædentem, ad reſciſionem contractus, vel pretij ſupplementum.*
3. *Clauſulæ communes quibus quod ſupereſt in re de qua conuenitur, donatur, legumq́ auxilio renunciatur, & cæteræ quantumuis adſtringentes & geminatæ, nulli præiudicium facient in conſequendo noſtræ L. beneficio, niſi*

*certo*

*certo constet ex deliberato animo & intentione contrahentium profluxisse quod clausulis exprimitur.*

4. *Non credo verum esse incidere in pœnam conuentionalem, qui hac L. experitur.*

5. *In contractu iuramento firmato, etsi maior difficultas esse possit, nihil tamen repugnat, quo minus aliquis possit, auxilio huius L. experiri.*

6. *Si autoritas iudicis contractui adhibita fuerit, non tollit contrahentibus remedium L.*

## CONCLVSIO III.

Læsus enormiter seu vltra dimidium, potest agere tam contra eum cum quo contraxit, quàm contra tertium.

### *COROLLARIA.*

1. *Actio ex L. nostra promanans, 30. annorum spacio durat, etsi non sit dubium, statuto eam ad minus tempus restringi posse, vt in multis prouinciis restricta est.*

2. *Tùm demum deceptus potest agere contra tertium in quem res alienata est, cùm primus contrahens soluendo non sit, & tertius titulo*

*lucra-*

*lucratiuo, vel leui pretio haud ignarus, deceptionis rem poßidet.*

3. *Qui scit contra se competere actionem ex L. nostra, non potest inde dici malæfidei possessor, nec præscriptionem talis scientia impediet.*

4. *Restituens rem ex actione L. nostræ, non tenetur ad restitutionem fructuum.*

5. *Si expẽsas necessarias emptor in re fecerit, vẽditor deceptus rẽ referens, refundere eas tenetur.*

6. *Perempta re sine culpa sua emptor deceptus, potest nihilominus agere ad restitutionem pretij: at venditor si deceptus sit, modo ne res ex culpa emptoris intereat, non habet recursum contra emptorem.*

## EXTRA ORDINEM.

Quidquid in Quæstione eiusque partibus dictum est ex varietate sententiarum contrarium probabile esse, animi & exercitij causa, defendo.

*Hæc Quæstio cum suis Conclusionibus & Corollariis, disputabitur in Lectorio DD. Iurisconsult: Academiæ Cracouień. die quarta Septembr.*